

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Quistorpius, D. & Theol. Facult. Senior. Ad Exequias Quas ... Dn. Johanni Asswero Amsingio Transysulano, Medicinae Doctori celeberrimo, Amici hodie parates cupiunt : Omnes Academiae cives ad mediam primam in templo Jacobaeo invitat ; [P. P. Rostochii 23. Aprilis Anno 1642.]

Rostochii: Kilius, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745848907>


Druck Freier  Zugang





Qvistorp, J.,
in J. A. Amsing.

R. 1642.

30.







PROGRAMMA
QVO
RECTOR
Universitatis Rostochiensis
JOHANNES QVISTOR-
PIUS, D. & Theol. Facult.
Senior.

AD EXEQVIAS
QVAS

Clarissimo & Experientissimo Viro
Dn. JOHANNI ASS-
WERO AMSINGIO TRAN-
SYSULANO,
Medicinæ Doctori celeberrimo, Amici
hodie paratas cupiunt.

*Omnes Academiae cives ad mediam primam
in templo Jacobaeo invitant.*



ROSTOCHII,
Listeri Nicolai Kilii Acad. Typog.

ANNO clj lxx XLII,

PROGRAMMA

et
RECTOR

Universitatis Rostochensis

JOHANNES QVISTOR

PRES. D. & Theol. Facult.

Senior

et

QVISTOR

Classico & Bibliothecario No

DR. JOHANNES

WERO AMSTINGIOTAN

SYSLANO

Medicinae Doctor et Librarianus

hospitales

Quint. Academie

in



ROSTOCK

1706

Annus



Fortunam olim Ethnici,
propterea quod plerumq; ma-
los benigne foveat, bonos mi-
seros habeat, & sine oculis cœ-
cam pinxerunt, & ratione care-
re asseruerunt. In mortem, si rectissimè hæc
quadrare asseram, nihil me præter verum di-
xisse, nemo puto negabit. Nulli hæc parcit,
seu tu Jobum, Davidem, alios, pietate vincas,
sive Absolonem patris regno & vitæ insidian-
tem, Judam humani generis salvatorem pro-
dentem perfidiâ superes, juxta à morte habe-
ris. Cæca & sine ratione, ut apparet, in omnes
ruit.

*Cedes coemptis saltibus, & domo:
Villâq; & exstructis in altum
Divitiis potietur hæres.
Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper, & infima
De gente, sub dio moreris.
Victima nil miserantis atræ
Mortis,*

Constantinus Imperator ex Hormisdâ Persâ,
 postquam orbis caput Romam, palatiis, ther-
 mis, theatris superbâ lustrâset, quæsiuit, quid
 sibi de hac urbe videretur: persa regessit. Ut
 ut omnia splendeant, hoc se animadvertisse,
 non minus Romæ, quam in reliquis mundi
 angulis & tugurijs vilissimis homines mori.
 Rectissime Ethnicus hic: quin & ipse Epicu-
 rus eleganter, contra cœtera quidem omnia
 tutum aliquid inveniri posse, sed contra mor-
 tem omnes habitare *πόλιν ἀτέλειον* civitatem,
 non cinctam muris. Perrumpit mors loca
 singula, omnes sine sexûs & ætatis discrimine
 conficit. Ut hæc aliorum assertis, & conge-
 rie exemplorum probentur, quid opus est,
 cum quotquot à mundo condito, per tot mil-
 le annos vixerunt, & quotidiana experientia
 omnium id oculis ingerant Stipendium pec-
 cati, in quo omnes concepti & nati sumus,
 mors est. Quæ & in cunis vagientes sæpicule,
 quin & Pharmacopolia inhabitantes conficit,
 licet foribus suis inscribant,

*Morborum hic hostes habitant, mors atra ca-
 vet,*
 Quin nec à medico ipso,
*Qui valet in media cymbam styge sistere onustam
 Et vetitam nauta seniori avertere prædam,
 abstinet manum.*

Non


Nō longius ab eo, hodiernus dies id nos docet.
Confecit mors virum, si quemquam alium in
arte medica versatissimum JOHANNEM
ASSWERUM Amsingium Transfylvula-
num. Medicinæ Doctorem, & per annos be-
ne multos apud nos Professore celeberrim-
um. Qui sæpius morborum mortisq; vim,
validis medicamentis inhibuit apud eos, qui
sanitatem vitamq; suam ipsi concrediderunt.
Comprobavit is opere ipso illud Spiritus
Sancti: *Constitutum est homini semel mori*, Post-
quam vitam in his terris vixisset annos octua-
ginta tres, & menses aliquot. retulere hoc no-
bis hi, qui ipsum emortuum id sæpius affir-
masse ajunt. Quū enim alijs super emortui na-
tivitate, & primis vivendi annis destituamur
documentis, ex illorum relationibus hæc re-
ferre necesse habemus. Natus est, ut dixi,
Emortuus noster anno 1558. in illa Belgij par-
te, quæ est trans Ifulam parentibus honestis-
simis. Qui ex se natum filium eruditæ vitæ
studiorumq; formatoribus commiserunt, sub
quibus ille ita profecit, ut ad superiores scho-
las mitti, & cum fructu in illis versari potue-
rit: In quibus cum ita profecisset, ut ad mu-
nia adhiberi posset, initio Harlemij Pastoris
Ecclesiæ munere functus est: At ipse suo u-


sus consilio, Theologiæ post valedixit, & ad Medicinam applicuit animum, in quo studio eò usq; progressus est, ut summos in arte medica impetrarit titulos. Medicus factus, & in ea excellens, Heros inclytus Auriacorum. Princeps Mauritius ipso per triennium usus est Medico. Inde (ignoramus quo fato) in regnum Sweciæ concessit, ubi aliquot annos artem exercuit medicã. Ex Swecia Wisnariam evocatus poliater isti civitati inservijt, donec inde ad nos Anno post Christũ natũ millesimo sexcentesimo quarto ad professionẽ medicã, & Physicatũ urbis obeundũ evocaretur. Ab eo tempore, usq; ad vitæ finẽ apud nos vixit. Ægrotis plurimis utilem præstitit operã, erudite & ingeniose tum docentem tum Disputantem de rebus Medicis in collegijs publicis audivimus. Inde cum nominis sibi celebritatem pararet, innotuit Illustrissimis & Celsissimis, laudatissimæ memoriæ Principibus Dn. CAROLO Megapolitanorum &c. Ducĩ. Et Dn, UDALRICO ex Regia Danorum profapia orto, tum Episcopæ Swerinensis administratori Reverendissimo, Utriq; per decenniũ Archiater non sine laude inservijt. Filias, fama est, eum ex conjugio primo adhuc superstites habere duas, quarum una Harlemij, altera Am-


ra Amstelrodami honestè elocata vivit. Quã-
vis autem initio patriæ religioni innutritus, in
quibusdam à nostris Ecclesijs diversum senti-
ret, indeq; non leves inter ipsum & hujus loci
Ministerium orirentur controversiæ: ante bi-
ennium tamen, post Colloquium inter ipsum
& Reverendum Ministerium apud nos insti-
tutum, plenissime ad nostras Ecclesias acces-
sit, manus suæ subscriptione illa doctrinæ ca-
pita, quæ in dubium ante vocare videbatur,
comprobavit. A quo tempore me Confes-
sionario, & sacra synaxi aliquot vicibus in
templo Mariano publicè est usus. Quum
autem ætas ingravesceret, & imbecilli-
tates ante annum vel circiter accederent,
lecto affixus, curis hujus mundi sepositis, totus
in lectione sacrarum literarum fuit, & preci-
bus se totum DEO commisit. Ego quoties in
lecto hærentem visitavi, (factum autem est
sæpissime.) meditationes sacras terentem, &
preces ad DEUM fundentem offendi. Die ab-
hinc quinto, qui fuit Aprilis decimus nonus,
post tertiam meridianam supremum vale
mundo huic dixit. Licuit huic emortuo no-
stro, Academia Civis, eos superare vivendo
annos, quos vivacissimo attribuit Moses: pau-
cis nostri ùm datum est, ad tantam pervenire
ætatem :

ætatem: singulis horis singulis momentis
mors nobis imminet, nec est qui crastinum
sibi promittere possit. Armavimus & arma-
mus mortem, porrigimus illi peccatis nostris
gladium, quo nos confodiat. Ita vivamus, ut
quacunq; hora nos oppresserit, paratos inve-
niat. Felix, cui ita mori datur, ut ex hac vita
egrediens, in potiorem transeat. Exuvia E-
mortui hodie sepulchro inferentur. Vestrum
erit, Academiae Cives, eas comitari; debetis
id viro propter eruditionem celebri, qui de
plurimis & docendo & medendo bene me-
ruit, debetis peregrino, cui hic cognatorum
& consanguineorum parum est, eorum vos
vices frequentia supplebitis. Convenite me-
dia prima hodierna in Templo Jacobæo, &
illud Emortuo officium exhibete, quod vo-
bis olim exhiberi cupitis. P. P. Rostochij
23. Aprilis Anno 1642.











ra Amstelrodami honestè elocata
vis autem initio patriæ religioni in
quibusdam à nostris Ecclesijs dive
ret, indeq; non levis inter ipsum &
Ministerium orientur controversi
ennium tamen, post Colloquium in
& Reverendum Ministerium apud
tutum, plenissime ad nostras Eccle
sit, manus suæ subscriptione illa do
pita, quæ in dubium ante vocare
comprobavit. A quo tempore n
sionario, & sacra synaxi aliquot
templo Mariano publicè est usus.
autem ætas ingravesceret, &
tates ante annum vel circiter acc
lecto affixus, curis hujus mundi sepo
in lectione sacrarum literarum fuit
bus setotum DEO commisit. Ego
lecto hærentem visitavi, (factum a
sapissime.) meditationes sacras tere
preces ad DEUM fundentem offendi
hinc quinto, qui fuit Aprilis decim
post tertiam meridianam suprem
mundo huic dixit. Licuit huic em
stro, Academia Civis, eos superare
annos, quos vivacissimo attribuit Mo
cis nostri ùm datum est, ad tantam pe

